JUSTI FONTANINI
FOROJULIENSIS

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO
Publici Eloquentiae Professoris

DE USU ET PRAESTANTIA BONARUM LITERARUM

ORATIO

Habita in eodem Archigymnasio
IV. Idus Decembres MDCCIV.

ROMÆ MDCCIV.

Per Franciscum Gonzagam in area Sancti Marcelli ad viam Cursus

EX PRÆSIDUM PERMISSU.

SANCTISSIMO ET MAXIMO
PONTIFICI
CLEMENTI XI.

JUSTUS FONTANINUS FELICITATEM.

UBi primum divinitus factum est, SANCTISSIME idemque sapientissime CLEMENS, ut ad

iſtud dignitatis culmen, quo nihil
auguſtius & ſublimius in terris ex-
cogitari poteſt, uno omnium ore
& omnium calculis, praeterquam
tuo, probatus aſcenderes; antiquus
animus rediit liberalibus diſcipli-
nis & ingenuis artibus, quae omni
aetate, atque omni fortuna ſuaviſ-
ſimae comites, & perhonorificae
altrices tuae, ſaluberrimis praece-
ptis animum & mentem ad om-
nem laudem tibi efformaverant;
ſemper tibi praeclara & egregia
cupienti per ſemitam paucorum
ante veſtigiis notatam quaſi facem
praeferentes, ut eum vitae curſum
teneres, unde nullus error avertere,
neque ulla te ad recta & honeſta

adſpirantem morari poſſet offenſio. Hinc tu, OPTIME PONTIFEX, quantum triſtiſsima temporum facies, divinique muneris tui incredibiles curae permittunt, ad benemerentes de te literas perſaepe animum confers, illasque ſatis inopiam & ſolitudinem paſſas, atque neglectas, in tua tandem beneficentia nixas feliciſsime conquieſcere etiam atque etiam laetaris. Atque hae profecto cauſſae jure & merito poſtulaſſent, ut Oratio haec, qua nudiustertius in frequenti graviſſimorum hominum conventu de uſu & praeſtantia bonarum literarum, te auctore & auſpice diſſerebam, in tuo nomine, apud infini-

tam ſaeculorum memoriam celebrando, appareret; niſi hoc qualicunque munuſculo, quod ſtatim ab eximiis beneficiis per te honorifice in me collatis, primum mihi ſe obtulit, quantum tibi debeam quod liberalitate vere Pontificia ultro me cumulaveris, palam teſtatum facere voluiſſem. Quum autem placida illa & jucunda animi tui magnitudo, in excipienda hac mea tenui vigilia poſsit obſcuram per ſe lucubrationem penitus illuſtrare; hoc ſi mihi contigerit, ad praeſtantiora pro virili excolenda fiam alacrior, atque omnia quae ſumma ſunt, me conſequutum putabo.

O R A T I O.

QUUM res univerſae ita a natura fuerint comparatae, EMINENTISSIMI PATRES, vosque cetari Illuſtriſſimi, & ornatiſſimi Auditores, ut ſuae perfectionis ſtudio ſingulae afficiantur; atque illuc, tanquam plena & abſoluta beatitudine cumulandae, omnes actus ſuos dirigant; mirum non eſt, ſi quos tanto impetu & ſecreta quadam naturae vi raptos aliquando conſpicimus, ut toto pectore, atque omnibus mentis & ingenii praeſidiis ad eandem perfectionem animo complectendam incumbere videantur: quae ſane perfectio in homine rationis compote aliud non eſt quam ſcire & cognoſcere. Quippe rerum cognitione a brutis ſejuncti, rebus coeleſtibus, divinisque ſubſtantiis perquam ſimiles reddimur, ceteris mortalibus tantum antecellentes, quantum iſti animantibus. Quia vero & animo, & corpore natura conſtare nos voluit, duplex nobis itidem tradidit inſtrumentum quo ad tantae felicitatis metam perveniremus, linguam nempe, & cogitationem; munus profecto maximum, egregium, nobisque longe digniſſimum. Altera enim penitiores diſciplinarum fontes attingimus, & ingenuis artibus doctrinisque praeſtare edocti, abditas rerum cauſſas, ipſamque naturam mente comprehendimus. Altera vero ea quae didicimus monumentis aere perennioribus ad ſeros

nepotes transmissa, in publicam utilitatem, & ante actae vitae nostrae testimonium convertimus. Ex quo luculentissime apparet, unam ab altera avulsam nostrae felicitati nullas suppetias adferre; & linguam per se solam haud amplius quam sine lingua cogitationem posse ad agendum incitari.

Quod quidem mihi semper animo illud infixit, rerum cognitionem ab eloquentiae contubernio dissociatam vix, ac ne vix unquam posse consistere; & prorsus eodem pacto istam ab illa neutiquam esse dividendam. Hocque ego non solum in oratoria facultate, sed potissimum in ceteris artibus usuvenire memoria repetens; & non modicam hominum partem hinc negotiis civilibus, hinc domesticis & familiaribus curis; hinc aliis, atque aliis rebus distractos, & impeditos, in hoc uno errore versari animadvertens, ut eloquentiae & humanitatis studia, tanquam merces communes & proletarias, omnique pretio interiori destitutas parvipendere non vereantur; consilium, quod in meo pectore jamdiu latuit, tandem expromere statui, & quid contra ego sentiam, in vestro amplissimo consessu aperire.

Verumenimvero quemadmodum pictores imaginem adspectu elegantem mortalium oculis exhibituros, necesse est in animo sibi fingere simplex idolum, & nudam, puramque ejus rei similitudinem, quam alienis sensibus subiiciendam sibi proponunt: haud secus arbitror illis, qui mansuetiores Musas ab eloquentia nuncupatas non invita laude excolere satagunt, omnem vim, & perfectionem earum rerum tenendam, de qui-

bus

bus disceptare, & differere cogitant: cujus quidem perfectionis imaginem aure metiinur, sicut oculo eam, quam pictor expressit. Quis autem non videt, has esse simplices illas & corpore abstractas formas, quas Philosophorum omnium doctissimus, idemque eloquentissimus Plato ideas appellare consuevit, nempe exempla rerum omnium, quae natura, vel arte fiunt: circa quas sine dubio, veluti ad intima Philosophiae penetralia eloquentiam habitare cognovimus? Quotus enim quisque est, qui gravium, & elegantium sententiarum pondere, quae nonnisi a Philosophorum penu trahuntur, eam quodammodo animari, & illustrari nesciat; unde oratio quasi nutrimentum mutuata, praeceptis, & rebus locupletissime instructa, duplicem dotem importat, utilitatem, & delectationem, semper ab ingenii monumentis ingerendam ubi de natura rerum, de affectibus, & moribus hominum gravi & eximia dicendi facultate disputatur. Quare in ea, in qua dudum fui permaneo sententia, quod sapientissimus Plato omnibus Graeciae Oratoribus Periclem non alia de caussa antistare persuasum habuerit, quam quod studuisset Anaxagorae, a quo illum multa didicisse memoravit, nempe facundiam, atque artem audientium animos movendi & temperandi: quod itidem saepius de Demosthene Cicero affirmat, quia Platone magistro usus fuit: atque hoc idem de ipsomet Cicerone jure maximo dicendum erit, utpote qui non solum reconditas Philosophiae latebras penetravit, verum & de illa distincte & enucleate, ut Ciceronem decebat, plurima scripsit.

Sed

Sed quid eloquar de ea, quam mox attigi, natura rerum, cujus ſcientia uberrimam & prope infinitam dicendi copiam ſuppeditat? quid de officiis ad liberum hominem ſpectantibus? quid de moribus? quid de prisca religione ceterisque quamplurimis ab inexhauſto Philoſophiae fonte derivatis: quorum cognitio quanti interſit ad firmandam & multiplicandam veri Numinis reverentiam, norunt potiſſimum antiqui & recentes Chriſtiani Scriptores; qui ampla harum rerum ſupellectile ornati & profanis Gentilium nugis larvam detrahere, & deſipientium haereticorum oculos configere nullo negotio potuerunt, ut Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Euſebius, Lactantius, Arnobius: & noſtra & Patrum memoria literatorum antiſtites, qui aeternam famam ingenio ſuo condiderunt, Hieronymus Mutius, Sixtus Senenſis, Jacobus Perronius, Robertus Bellarminus, Dionyſius Petavius: qui omnes in ſcribendo acerrimi & copioſiſſimi, arte quam criticen vocant, quaeque nonniſi poſt jugem & longam rebus percipiendis navatam operam adquiritur; de ſenſu, aetate, & ſcriptis veterum Patrum, graviter, nec minus quam rei magnitudo poſtulare videbatur, ſententiam ferentes, omnem Sectariis ſe & alios fallendi locum ademerunt. Quales vero quantique uſus arti criticae inſint & aliis praeclariſſimis diſciplinis communes, & eidem proprii, quis niſi ab elegantioribus literis omnino alienus ignorat? Profecto utilitas omnis, quae ex hiſtoriae cognitione, adeoque ex univerſo liberalium ſtudiorum apparatu percipitur, illi uni in primis debet adſcribi; quoniam hac duce & auſpice

omnis

omnis ejusdem peritia comparatur. Ea eſt verae & non fucatae, aut falſae eloquentiae fundamentum. Illius beneficio inanium verborum fallacias improvida ingenia ludificantes detegimus; adulterinos foetus diſcernimus; & loca veterum vel fraude, vel inſcitia depravata integramus. Hiſtoriae quidem ope cognoſcimus initia humani generis, quae nos ad ipſius rerum omnium auctoris cognitionem veluti manu ducunt: cognoſcimus opiniones, conſuetudines, & ritus populorum, quae ad bene beateque vivendum mirifice conferunt: cognoſcimus eventus & mutationes Regnorum, quae nos cautiores & meliores efficiunt; ſed nemo facile aſſequi haec poterit, niſi improbo examine tempora & loca perpenderit, varietatem opinionum non perfunctorie diſcuſſerit, omnia demum inter ſe collata critica face exploraverit.

Hanc porro criticam artem, quae non ſolum genuinae verborum ſignificationi rimandae; ſed ipſi rerum veritati altius indagandae immoratur, heu nimis longa ſaeculorum infelicitate intermortuam, avorum tandem aetate, quum Cimmeria ignorantiae nox pene ubique incubaret, ad vitam poſtliminio revocavit Romanae nobilitatis atque Italici nominis ſplendor & ornamentum inſigne Laurentius Valla; licet tamen alicubi ingenio ſuo nimis indulſerit. Hujus exemplo ſubinde celeberrimis veterum ſcriptis per doctiſſimos viros emaculatis, criticen ad meliorem uſum poſtea traduxit magnus Eccleſiaſticae Hiſtoriae reparator dum Annales auro contra aeſtimandos veluti umbonem Heterodoxorum furiis & commentis oppoſuit; unde innumeri

meri Scriptores in eadem palaestra exercitati prodierunt, qui veterum Patrum & Ecclesiae monumenta omni apocryphorum labe purgata, & nitidissime expressa publici juris fecerunt. At longe facessat impudentium ingeniorum libido, quae nuper aequis legibus florentem literariam Rempublicam procaci libertate miscuerunt, arte hac praestantissima in pravum & perversum usum detorta, dum juxta divina atque humana sursum, & deorsum volvendo, eam, quae ad recte judicandum, & differendum maximo disciplinarum bono adoleverat, in earundem perniciem & pestem consilio praepostero immutarunt, sicut de falsis, ita etiam de veris, & de quibus religio est dubitare, incredibili quadam audacia, & more sceptico disputando.

Et vero studia haec literarum vel ipsi religioni quanto sint adjumento & splendori olim declararunt sacratissimi homines Basilius & Nazianzenus, Hieronymus & Augustinus, qui licet Deo pleni, interioribus tamen disciplinis operam sibi esse dandam duxerunt quo majori comitatu ad rerum coelestium cognitionem ascenderent. Plerique etiam in delectu & structura verborum, in quibus praecipua dicendi laus est, ad orationem ornandam & poliendam magnopere vigilarunt, illud probe animo tenentes nec divinarum, neque humanarum rerum scientiam pro dignitate munus tueri suum, nec satis uberes fructus producere posse, nisi optimo dicendi genere illustrata; cujus subsidio rationes & argumenta in bono lumine collocata majorem vim capiunt, animi nostri sensus perspicue explicantur, ipsaque mens vulgarium opinionum praejudiciis exuta,

&

& ductilior ad recte cogitandum reddita, in officio suo magis apposite fungendo perficitur.

Verum sicut eloquentiae dignitatem tot tantisque bonis ab illa productis in excelso & illustri honoris & laudis fastigio positam intuemur, utinam ita & mala quae olim ejus deplorandum exsilium subsequuta sunt, eam quoque satis superque non commendarent! Infelicissima illa sequioris aevi calamitate ob bonarum literarum & eloquentiae ingentem cladem ab indoctis illis & rudibus saeculis acceptam, quae a ceterarum artium ruina incredibili separari non potuit; optimi auctores quisquiliarum loco habiti, sacratiores doctrinae, religionis & Patrum scita lacrymabiliter jacuerunt. Tunc Sophistarum & nebulonum captiosae artes ad fallendos animos invectae; improbi mores quaquaversum, & ritus profani patuerunt. Tunc Historia veritatis magistra fabulosis narrationibus & ineptiis foedata, donec tandem post nongentos & amplius annos quasi de coelo lapsus Petrus Bembus, in vestrum deinde supremum ordinem cooptatus, EMINENTISSIMI PATRES, in tam densa erroris & inscitiae caligine, ad veterum Scriptorum facem in hac Urbe aeterna primus omnium felicissime respexit; primusque ab hominibus impetravit, ut ad eorundem Scriptorum dicendi formam digitum intenderent, eandemque veluti exemplum animo & cogitatione comprehenderent. Hoc quidem Bembi documento quantum rei literariae & latini sermonis pretium & majestas creverit, nemini difficile est noscere, si pridem scripta cum illius aevi lucubrationibus conferantur. Ex illo tempore scribendis Pontificiis epistolis,

ſtolis, quibus nil gravius aut ſanctius, viri eloquentiſſimi admoti, Bembus, Sadoletus, Bloſius, & qui jure nobis eſt memorandus popularis noſter Romulus Amaſaeus, cujus ſtudio & induſtria Pauſaniam elegantius Latine quam Graece loquentem ſuſpicimus: quique Pontificiam operam conjunxit cum munere literas politiores enarrandi ex hoc loco, quem nos PONTIFICIS vere MAXIMI beneficentia, immerito licet, implemus. Exinde in alienas gentes ab Italicis viris migrationes literarum coeptae propagari: jurisprudentiae, philoſophiae, & medicae artis facultates per Andream Alciatum, Franciſcum Patricium juniorem & Bartholomaeum Euſtachium, gemina hujus noſtrae Academiae lumina, e barbaris nugatorum manibus ereptae puriorem lucem viderunt: quas noſtra haec aetas longe eruditiſſima ad ſummum culmen deinde perduxit. Quocirca ex illis ipſis temporibus non una duntaxat Italia, Provinciarum omnium Regina; ſed Hiſpania, Gallia, Germania, Pannonia etiam, Sarmatia, & Anglia multiplici doctrinarum cognitione, & linguae latinae ubertate & ſplendore Urbis Romae ſaeculis eruditione clariſſimis ſe prope adaequarunt, ut noſtratium plurima eaque luculentiſſima, & exterorum non modica ſcripta teſtantur, quae omnis poſtera aetas perpetuo admirabitur.

Nulla eſt ergo, Auditores, praeſtantiſſimarum artium & diſciplinarum, quae partim ad vitae uſum, partim ad animi oblectamentum & bonum ſunt neceſſariae; nulla philoſophiae, qua nihil admirabilius a Deo mortalibus datum eſt; nulla juris divini aut hu-

mani;

mani; nulla religionis & pietatis cognitio, cui mitiores literae multum virtutis & majeſtatis non impertiantur: parum enim fuiſſet artes invenire, niſi luce orationis accedente & res memoria digniſſimae a majoribus noſtris notitia comprehenſae, per diſertiſſimos viros non modo a ſitu & ſqualore vindicatae, ſed in dies auctae & excultae ad nos perveniſſent. Quod quum ita ſit, & omnium ferme eruditorum conſenſu, Latini homines optima quaeque & emunctiſſima cujuscunque diſciplinae monumenta reliquerint; nos pro virili ex munere nobis injuncto dabimus operam, ut dictionum & rerum, quibus eadem coaleſcunt, ratione perpenſa, hinc Poetica, hinc Hiſtorica, & Oratoria facultate praeſtantium auctorum cognitionem nobis atque ſcientiam vindicemus: modo ex intimis illorum ſententiis Romani ſermonis artem & perfectionem deductam enarrando, & loca vexata, & controverſa explicando, & ad concordiam redigendo: modo qui in hoc imperii & gloriae domicilio ritus, mores, & leges olim floruerint indicando: quae omnia ad latinae facundiae theſauros, non levi duntaxat verborum ſonitu ſtrepentes, ſed ipſo rerum pretio conflatos, ex iisdem ſcriptis eruendos, ut opinio mea fert, planam & facilem viam ſternunt.

Sed cur video omnium veſtrum in me vultus & oculos admiratione converti, Auditores? Anne quod Romanam juventutem ad eloquentiae & bonarum artium ſtudia capeſſenda, ut in majorum veſtigia incurrat, ipſe oratione minime inflammans, pene diſceſſerim? Ergone mortalium quis reperitur, cujus animo

non

non obverſetur CLEMENS UNDECIMUS PONTIFEX immortalitate digniſſimus, idemque eruditorum Princeps, quem virtutum & doctrinarum omnium chorus adeo ſupra rerum humanarum conditionem evexit, ut ad impellendas omnium mentes ad ſtudia literarum ipſe unus exemplo ſuo facundiſſimus Orator ſufficiat? Illum illum aſpicite, quem in graviſſimis de ſalute omnium gentium curis occupatum tantus diu noctuque ſcientiarum ardor incendit, ut nihil antiquius habeat, quam ut earundem cultores munificentia complectatur & foveat; nihilque eidem optatius occurrit, quam ut hoc celeberrimum & florentiſſimum Archigymnaſium frequentia & ſplendore nulli omnino terrarum concedat. DIXI.



Mc